

## Adnotationes in Senecae dialogum I.

cap. 1, 2. In his, quae in hac paragrapho Seneca enumerat, divinae providentiae et numinis omnia in rerum natura aeternae legis imperio gubernantis indicia (quae in sequentibus 3. 4. continuat, ab obliqua vel pendente oratione ad rectam digressus), a nemine, quod sciam, offensum est, nisi quod Lipsius verborum *velocitatem — tantum rerum gestantem* difficultatem et obscuritatem testatus est minus feliciter interpretando; mihi vero haud pauca dubia et intellectu difficilia visa sunt. In singulis quidem verbis non magno pere haereo, neque in iis, quae praecipue me offendunt, corruptelae suspicionem adesse putarim. Quaedam vero, sane minoris momenti, mihi suspecta sunt. Veluti pro *et quae casus* legendum esse opinor: *sed quae* (vel *set*, ut saepe scribitur *t* pro *d* in particularum exitu; cf. Koch. de cod. Mediol. p. XXVIII); nam prorsus contraria antecedenti membro ea sunt quae sequuntur, haec vero ipsae inter se quoque opposita sunt, sed ut saepe, sine ulla particula haec duo sibi opponuntur. Verius quidem ad sententiarum rationem haud dubie haec omnia (*sed quae relucentium*)<sup>1</sup> causali particula adnectenda erant, sed in festinata hac enumeratione obliquam orationis formam mutare Seneca noluisse statuendus est. Dein *discursum* equidem non verum esse crediderim. Ex sermonis usu hoc vocabulum haud dubie significare debuit planetarum inter se differentem motum, de quo tamen h. l. sermo nullo modo esse potest; nam ex ea oppositione (quae verborum vel orationis membrorum inter se relatio certissime singulorum notiones definit) quae est inter: *nec hunc siderum coetum discursumque* (de omnium siderum motu) *fortuiti impetus esse — arietare* et: *hanc inoffensam velocitatem procedere* etc. manifesto apparet, utroque vocabulo eundem motum significare Senecam, idemque dicere *discursum* et *velocitatem*, quae vox dein idem ei significat, atque id quod infra posuit: *circa se properantis caeli fugam* (s: celeritatem, velocitatem cf. V. Aen. 1, 317

<sup>1</sup> Koch. recte plenus interpunxit post *relucentium*, cum *nec-relucentium* unum et plenum orationis sit membrum.

*volucremque fuga praevertitur Hebrum*), quam terra, ipsa immota, spectat (pleonasmus quidam adest in *properantis fugam*). Hic ergo s. *discursus* s. *velocitas* sive *properantis (circa se) caeli fuga* opponitur illi, quod dicitur *terrarum gravissimum pondus*, quod *sedet immotum*. Haec ergo si ita sunt, non potest non falsum esse *discursum* pro *decursum* i. e. cursum usque ad finem. Aliud quoque est, quod hoc loco offendit, neque tamen librarii errori tribuendum, sed ipse Seneca sibi oblocutus esse statuendus est dicens *velocitatem illam tantum rerum terra marique gestantem* aequae ac *tantum clarissimorum luminum et ex disposito* (i. e. disposito, certo ordine h. l.; alio sensu apud Macrobius idem vocabulum dicitur 'ex compacto') *reluentium*. Offendisse illa verba: *velocitatem tantum rerum terra marique gestantem* Lipsium apparent, qui vitii in ipsis Senecae verbis non satis conscius, frustra et satis infelicitur ea interpretari conatus est, haec adnotans: 'Quomodo cursus (i. e. *discursus*) aut velocitas illa res (i. e. terrae) gestat? puto, quia includit (?) et siderum coelorumque motu fata gestantur (!) . . . tot ergo res gestant, quia includunt et velut gravida iis sunt, parturiuntque' (ipsum huius enuntiati subiectum non apparet). Horum Lipsii verborum sensus nulli facile perspicuus erit. Sed illius ergo *velocitatis, quae tantum rerum terra marique gestat*, secundum Senecae verba h. l. terra quoque particeps est (quo modo?), sed statim deinde dicitur *terrarum gravissimum pondus immotum sedere et caeli circa se properantis fugam* (i. e. *velocitatem motus) spectare*, quae duo nullo modo congruere possunt. Praeter hanc verborum Senecae inter se repugnantiam id quoque adnotandum est, hunc locum manifesto indicio esse videri ipsum dialogum haud brevi scriptum esse ante Naturales quaestiones, ubi (VII, 2) Seneca dubitat, 'utrum mundus (i. e. caelum) terra stante circumbeat, an mundo stante *terra vertatur*'; et pergit: 'fuerunt enim qui dicerent nos esse, quos rerum natura nescientes ferat, nec caeli motu fieri ortus et occasus, sed ipsos oriri et occidere' (i. e. nos verti caelo stante); ad quem locum Muretus affert verba Ciceronis, ita in Academicis loquentis: 'Hicetas Syracusensis, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet: neque praeter terram rem ullam in mundo moveri; quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae si, stante terra, caelum moveretur.'

ibid. *nec quae temere coierunt* (antea 'materiam errantem' Democriti et Epicuri atomos nuncupavit) *tanta arte pendere*. *Pendere* h. l. non ex vulgari sermonis usu dicitur, ex contextu vero significare videtur 'intime conexas, coniunctas esse'. *Pendere* fortasse ideo dixit, quod animo eius observabatur id, quod statim dicturus erat: *terrarum pondus immotum*, et ipsum sententiae pondus in 'tanta arte' posuit. Iustoque brevior h. l. oratio Senecae est, cum post negativam generalem sententiam ea quae consecutiva sequitur proprie plenius ita edicenda erat: 'ut, quod nunc est.' Dein observandum est sequentes consecutivas sententias non iam explicationem habere solius verbi *pendere*, sed magis illustrare illam artem, qua

elementa a mundi creatore quasi conflata sunt; ergo zeugma quoddam in verbis 'tanta arte pendere' statuendum est.

cap. 2, 5 Revocandum est haud dubie, quod praebent editores ante Fickertum et Haasium plerique: *excitari iubent liberos ad studia obeunda mature*; pro quo illi duo dant *exercitari*, sane ex antiquissimi cod. auctoritate. Sit sane in recentioribus (Guelferb. Gud. 10 et Vratisl.) illud *exercitari* ex emendatione ortum; sed ea haud raro opus fuit ob ipsum cod. antiquissimi habitum. Non satis apto bonove sensu dici videtur: *exercitari ad studia obeunda mature*, aptiusque, si verum esset *exercitari*, (quod verbum omnino est rarius, tantum in participio frequens) diceretur: 'exercitari ad mature surgendum, ut studia obeant.' Accedit, quod in proximo orationis membro sequitur peculiare paternae in liberis educandis curae exemplum, tale ergo in priori quoque membro indicari verisimile est; nam *feriatis quoque diebus* opponitur ei, quod fit quotidie i. e. profestis diebus. Aptissimum ergo ad illud aliud tale paternae curae exemplum indicatur, si legitur: *excitari iubent* i. e. e somno excitari. Absolute ita poni *excitare* compluribus exemplis comprobatur, veluti Quinctil. IV. 1, 73 '*quo Prodicus velut dormitantes eos excitari putabat*' (vel ex hoc loco apparet absolute positum *excitare* frequentius de dormientibus dici). Idem IV 2, 73 *excitato* (patri) *omnia indicarunt*; antecedit: *patre dormiente*. Curtius IV 13 *nempe excitare vigiles soles* (hyperbole). Plin. H. N. 10, 24 (Bip): *nostri vigiles nocturni* (i. e. galli), *quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit*. Ov. Amor. 1, 6, 66 de gallo: *inque suum miserum excitat ales opus*; plura exempla affert Drakenb. ad Liv. 2, 47, 3. (9, 37, 7. 30, 6, 1. pp.). Florus 1, 13. *Manlius excitatus* a summa rupe deiecit (apud Liv. V 47, 3 *Galli tanto silentio ad summum evasere, ut ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent*). *Mature* h. l. significat: 'tempore matutino' (ante lucem). De codicis vitio observandum est, monente Drakenb. ad Liv. 39, 1, 5, saepius a librariis inter se mutari *excitare* et *exercitare*. Pronius sane ita erat scribae negligenti ad compendii notam non attendenti, *excitare* scribere pro *exercitare*: sed si falso vel casu virgula addita esset, e contrario *exercitare* quoque pro *excitare* in textum irrepere potuit, cuius rei exempla praebet Drakenb. ad Livium. Ita Liv. 7, 12, 2 pro *ex somno excitationis* in Leid. 1 legitur *exercitationis*. Liv. 10, 33, 1 pro *consul tumultu excitus* Cod. Leid. 2. Voss. 1. Haverk. simili errore habent *exercitus*. Liv. 39, 1, 5 *nulla erant, quae militem excitarent* codd. variant inter *excitarent* et *exercitarent* (antecessit ibi *excitatio*). Idem prorsus error (*exercitus* pro *excitus*) frequentior esse apud Livium exemplis indicatur a Drakenb. ex Liv. 1, 14, 6. 2, 62, 4. 3, 48, 6. 5, 8, 7. 5, 16, 8 (ubi pro *cetera bella — incerti exitus erant* Gaertner et Lovel. 2. *incerti excitus* praebent, Leid. 1. *incerti exercitus*). Sed exemplorum, spero, iam sat est.

cap. 2, 6. Dr. M. Cl. Gertz, cuius 'studia critica in Senecae dialogos' haud parva laude digna sunt, et qui permultis locis op-

time de contextu horum librorum felici emendatione meruit, minus feliciter tamen hanc criticam operam auspicatus esse iudicandus est p. 49 in verbis: *languent per inertiam saginata, nec labore tantum sed motu et ipso sui onere deficiunt*. Haasium quidem, qui (adn. critt. 1. p. 2) *corpora* post *languent* inserendum esse suspicatus est, non satis recte iudicasse coarguit, exemplis demonstrans, ita saepius a Seneca neutr. pl. poni, ubi tamen de hominibus proprie cogitandum est' (potuit hic quodammodo vel ob ipsam vim vocis — *saginata* — facilius omitti *corpora*). Deinde vero Gertzium autumat 'non recte tria substantiva, quae sunt *labore, motu, onere*, ex aequo fere posita ad verbum *deficiunt* referri' sibi videri, et ideo 'particulam *et* aut tollendam aut ante *motu* transponendam esse, ut duo tantum ablativi (*labore et motu*) a verbo *deficiunt* pendeant, tertius vero (*onere*) pro ablativo instrumenti, accipiatur'. Quid fieret particula *sed*, si locum mutaret et non dicit. Simplicius erat tollere particulam *et*, prout ille locum intellexit, ita ergo textum constituere: '*nec labore tantum sed motu ipso suo onere deficiunt*.' Mire vero explicat: *labore et motu deficiunt* i. e. 'facultatem laborandi seque movendi amittunt;' quod utrumque 'recte habere' concedit, sed pergit '*sui onere deficiunt* vix recte ita dicitur, ut significet: *facultatem sui oneris gestandi amittunt*.' Sed sicut hoc minime, ita illud vix recte habet aut unquam dicitur eo sensu, quo Gertzium explicavit. *Motu deficere* sane eo sensu, quo exposuit G., fortasse dici poterat, quatenus motus inhaeret vivo homini et eius naturae quasi pars est, *motu* ergo *deficere* diceretur eadem analogia, qua dicitur aliquis *viribus, animo deficere* (i. e. *deficere* iungit sibi ablativum, quem dicunt respectus s. restrictivum, qui indicat, ad quam partem ipsius subiecti praedicatum referatur). *Labore deficere* vero apparet non prorsus eodem modo ad illam analogiam dici posse neque facile alio exemplo firmari posse crediderim; si unquam simile dicendi genus demonstrari posset, explicandum erat non prorsus, quomodo explicavit Gz., sed 'vires amittere inter laborem, in medio labore a viribus defici'; sed rectius tamen diceretur: *in labore, inter laborandum deficere*. Appropinquat quodammodo ad tale dicendi genus id, quod a Caesare dicitur B. C. 2, 6, 3: *neque vero coniuncti Albicis comminus pugnando deficiebant*. Sed addit deinde Gertzium: 'ceterum dubito, an Seneca potius *deficiuntur* scripserit; passivique generis terminatio hic ut saepius oblitterata sit.' Sed cum in illa constructione: *defici-aliqua* (= *deseri*) ablativus sit privativus (qui dicitur aut saltem recte dici potest), sequitur *motu* quidem *defici* apto huic loco sensu dici posse, *labore* vero *defici* non item. Apparet, credo, causam, cur in dubitationem de hoc loco, in quo nemo alius, quod sciam, offendit, adductus sit Gertzium, quam dubitationem tamen non expedit, eam fuisse, quod minus recte vim verbi *deficere* h. l. perceperit. De sermonis usu satis constat, verbum *deficere*, praeter varium alium usum, saepius neutrali sensu idem fere significare atque *decrescere* (*minui, desinere*, german. *abnehmen, schwinden*) sed variis significandi gradibus ('non sufficere,

desinere, deesse') de rebus et hominibus (v. aliis animantibus). Haud multis exemplis opus erit. Ita 'memoria, spes, vires, vox deficere' dicuntur; 'mores (in bonam partem acceptum) deficiunt' apud Horat. legitur (Liv. praef. *mores desiderare* dicuntur). Sed mutata dicendi forma (eodem vero sensu verbi) latine dicitur: *viribus* (Abl. restr.) *deficere* (de homine aliisve animantibus) sed etiam eodem sensu (vires amittere) nudum *deficere* ponitur, ut Verg. Georg. *equus morbo et annis* (abl. causae v. instr.) *deficit*. Simili modo dicitur: *animo deficere*, sed et eodem sensu absolute *deficere* = 'animum despondere,' ut Sall. Iug. 51, 4 *militēs hortari, ne deficerent eo*. Verg. Aen. 11, 231 *deficit ingenti luctu* (i. e. ob ing. luct.) *rex ipse Latinus*. Si ergo hoc uno huic loco apto sensu accipitur verbum *deficere* (= *viribus deficere*), sequitur ablativos *labore, motu, onere* non 'ex aequo fere posita' ad verbum *deficiunt* referri, sed vere ex aequo posita esse tres ablativos causae s. instrumenti, qui in negatione gradibus descendunt. Ergo *corpora illa saginata* non labore tantum sed motu iam et ipso sui onere prorsus vires amittunt (quod graduum ascensu dici poterat: 'non oneri sui ferendo, ne motui quidem, nedum labori viribus sufficiunt').

2, 7. Iure restituit Gertzius superiorum editorum lectionem eatenus, ut recte iungantur: *ego vero non miror, si* — et legatur *spectandi* pro *spectant di*, dum Fickert. et Haas. *ego vero non miror* interpungendo pro responso referunt ad antecedentem interrogationem: *miraris tu?* Sed restat tamen aliquid corrigendum; cum enim enuntiati antecedentis subiectum sit *deus*, huius vero enuntiati subiectum plurale, quanquam re idem atque antecedentis, non nuncupetur, haud dubie statuendum est *di* (dii) in hoc enuntiato excidisse ideoque addi debere. Addidit Lips. ed. IV 'si quando dii' abest in Lips. ed. II. (neque in edit. Amstel. 1672, Lipsii integris commentariis illustrata, adest haec vox). Cod. A habet: *si aliquando* et postea *spectant di* (pro quo Pincianus *spectandi* corripuit). Koch. dedit: *si di aliquando*. Propius vero ad codicis A testimonium accesserimus, si verba *spectant dii*, alio modo corrupta esse statuentes, corrigamus: *spectandi dii*; cui verborum ordini in Seneca nil iure obici potest; scribendum ergo est: . . *non miror, si aliquando impetum capiunt spectandi di magnos viros* etc.

2, 9. *si convertere animum velit*. Non facile deesse potest *eo* (relatum ad antecedens *terris*); quid enim est h. l. nudum '*animum convertere*'? Quod cum sponte mihi occurrerat, dein vidi hanc coniecturam iam a Goerentzio praeceptam esse et ab aliis probari. Neque eam refelli credo exemplo, quod simile videtur Kochio, petito ex Sen. de ira II 34, 1 *mures formicaeque, si manum ad-moveris, ora convertunt*; neque enim *ora convertere* prorsus simile est, et ex contextu intelligitur: *ad mordendum*, ut *eo* addito minime opus fuerit.

2, 12. *inde crediderim fuisse*. Cum *inde* h. l. rariore usu et constructione poni videatur, haud prorsus superfluum erit, spero, adnotare, *inde* non ad *crediderim* sed ad sequentem acc. c. inf.

*fuisse* etc. pertinere causali sensu ('ea de causa'), sequi vero ipsam causam non enuntiato particula *quod* ad *inde* relato (ut in Plinii Epp. VII 5 *inde est, quod*) sed recta (v. non pendenti) oratione (i. e. *inde* vim habet illativam, quam recentiores quidam grammatici dicunt).

3, 1. *post hoc volentibus accidere ac dignos malo esse, si nolint.* Miror nemini in mentem venisse, haec duo membra non coniungenda (*ac*), sed disiungenda esse: *aut* ergo haud dubie hic pro *ac* substituendum est; non possunt iidem eodem tempore et *velle* et *nolle*.

ibid. Codicis A apertam corruptelam: *fato ista sic eirecte* primum ita emendare conatus est Muretus: *fato ista fieri, recte c. l. b. evenire*, qua emendatione innixi superiores edd. Lips. (ed. II a. 1615) usque ad Vogelium (1830) teste Fickerto edidere: *fato ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt boni*. Sane corruptela illa, quae in codice A adest, minoris momenti est, cum ex illa universus sensus facile perluceat, etsi singula Senecae verba extricare vix iam contingeret. Madvigius Advv. 2, 384 sane alio modo scriptum hunc locum dedit: *fato ista sic ire et eadem lege*; quae eius emendatio a Kochio in verborum textum recepta est. Quibus equidem assentiri nequeo; nam primum nullo exemplo demonstrari posse credo unquam a latino scriptore dici *aliquid fato ire*, ut sit idem atque *fato fieri*, quod saepenumero dicitur (ut in Cic. Div. 1, 55, 125 *fato omnia fieri*, quod idem recurrit Cic. N. D. 3, 6, 14. de fato 17, 39. Cic. or. Phil. 2, 1, 1. *quo meo fato fieri dicam*) aut alio sensu accipiatur. Reputanti deinde *ista* commune esse subiectum utriusque accusativi c. inf., et *ista* significare *mala* ('quae bonis accidunt'), mire sane, si hoc substitueretur, dici videretur: *mala fato sic ire*. Si Mureti emendatio retinetur: *fato ista fieri*, apparet *sic* prorsus abundare post *ista* (i. e. mala, quae bonis accidunt). Quod in ipsa argumentatione, qua id egit Madv., ut refelleret scripturam Fickerti et Haasii, mihi quidem non satis perspecta, contenditur: 'prave iungi *sic* (de ipsa rei forma, modo equidem potius dixerim) et *recte* (quod iudicium continet),' id de hoc tantum loco, neque in universum dici credidi (nam per se quid obstat, quominus dicatur? 'id eo modo recte fit v. agitur'). Madvigii emendationem, ubi *recte* evanuit, propius accedere ad literarum ductus in codice A, quam Mureti et Lipsii scripturam, facile concesserim; sed in loco tam corrupto inde haud dubie non pendet emendationis veritas. Potest vero *recte* retineri et bono quidem sensu, si artissime ad *eadem lege* referatur, eo scilicet: 'congruenter eidem' legi s. 'secundum eandem legem'; ita relatum *recte* intelligendum est de logica, quam recentiores dicunt, necessitate. Sed ut quid sentiam apertius edicam, illa verba: *eadem lege, qua boni sunt*, uberiore explicatione egere puto, quam quae brevi solius Lipsii (quod sciam) adnotatione iis contigit. 'Bonos,' de quibus Seneca in toto hoc libro loquitur, eosdem non dubie dicit, quos Cic. Tusc. V 10, 28: 'quid dicam bonos, perspicuum est: omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum *sapientes*, tum viros *bonos* dici-

mus.' Ad illam vero summam virtutem s. bonitatem homines accedere non possunt, nisi, ut Seneca toto hoc libro, imprimis cap. IV disputat, luctantes cum externis incommodis et malis, semper superiores fiunt et ita semper probantur et emendantur quasi igne spectati. Itaque secundum eius legis necessitatem necesse est mala bonis eveniant. *Recte* h. l. abesse posse sane concedendum est; sed in cetera Senecae dicendi copia non iure offendere quemquam mihi videtur. Lipsiana ergo scriptura standum esse censeo, donec verior fortasse aliquando inveniri possit.

3, 4. *Ignominiam iudicat gladiator . . . et rectissimum aggredditur.* Quod orationem in hoc loco gravius corruptam sibi videri Gertzius declarat, eius suspicionis nullam satis iustam causam attulisse et iniuria in hoc loco offendisse mihi videtur. Concedit G. 'non raro Senecam eandem sententiam mutatis paululum verbis bis enuntiare ob eamque causam hic quoque idem bis dictum (*fortissimos — quaerit, contumacissimum — aggredditur*) fortasse ferri posse, nisi id obstaret, quod his duobus membris idem significantibus contrarium interponitur, quum alibi, quantum scit, continentur; deinde quod in imagine, quam adhibet, alterum membrum desideratur' (i. e. tale, quod responderet bis dicto). Verisimile ergo ei videtur, utendum esse hic corrigendi genere alioqui parce adhibendo, et transponendam esse sententiam: *fortissimos sibi pares quaerit* post *vincitur* in ipsa imagine. Cui argumentationi opponi posse puto, eam orationis copiam sive abundantiam, qua Seneca non raro, immo saepissime idem mutatis verbis repetat, si putida sit (quod minime semper vere dici potest), minus tamen putidam fieri, si duobus idem significantibus membris contrarium interposuerit; quod haud dubie arbitrio scriptoris relinquendum esse; dein tam frequentem esse illam in Seneca oratione abundantiam, ut dubitare liceat, Gertzium memoria omnes illos locos ita complecti posse, ubi ea adsit, ut contendere possit, alibi semper duo membra idem significantia continuari et nusquam contrarium interponi. Neque iure dici puto, in praemissa brevi imagine (quae tamen caput rei, quae imagine illustranda est, tetigit), alterum membrum desiderari. Is enim, qui dicit 'gladiatorem ignominiam iudicare cum inferiori componi,' tacita sed facile intellecta oppositione indicat cum pari se componi optare. '*Fortissimos sibi pares quaerit,*' de gladiatore in praemissa imagine dictum, vel ideo reiciendum est, quod gladiator vulgo ex more adversarium neque quaerit nec eligit, cum paria gladiatorum ab ipso lanista componantur, quo verbo *componi* de gladiatore recte usus est Seneca.

ibid. 3, 7. *viderint — felicitas tua.* In his Rutilii verbis (*inquit*), initio ipsi Sullae quasi respondentis et eum compellantis (*felicitas tua* i. e. *tu Sulla felix*) *viderint* nude, ut videtur, positum est; quod sic obscurius cum sit, aliqua saltem explicatione eguisse mihi visum est, cum praesertim idem verbum alia forma, mutata aliquantum significatione bis recurrat. Satis constat: *videris, viderit, viderint* vulgo ab eo dici, qui alicuius rei curam a se amandans aliis relinquit, neque sua interesse declarat. Hoc loco nude positum neque sic

neque pleno et absoluto sensu intellegi licet, ut in illo Vergiliano loco: 'de me divom pater atque hominum rex viderit' ('über mich beschliesse'). Sed haud dubie ex initio antecedentis interrogationis (*infelix est Rutilius?*) *viderint* h. l. ita supplendum est: *viderint, inquit, isti — sc. num infelix sit Rutilius.* Et nexus, quo cohaeret cum sequentibus enuntiatis, haud dubie is statuendus est: 'cum videant tot Romae scelera admitti, tot caedes, tam largum sanguinem effundi, fidem ruptam esse, quae data erat se dudentibus, cum videant ista, qui exsulare non possunt, tum viderint (considerent), num infelix sit Rutilius exsul.'

ibid. 3, 9 *Refice illum et mitte in senatum.* Sic cod. A. Conjectura, quam secum a sodali communicatam probandam esse censet Gertzius, et Kochius quoque probavit et in textum recepit, *refige illum*, potius veritatis speciem quam ipsam veritatem praebet. De sensu verbi *refigere*, quod propter *crucis* nomen (§ 10: *quam ille in cruce*) aptissimum esse contendit Gertzius (et conferri vult de vit. beat. 9, 3), nulla dubitatio est. Facile vero apparere crediderim, in verbis, quae (§ 10) sequuntur: *quam ille* (i. e. Regulus) *in cruce*, *crucis* vocabulum non proprio sensu accipiendum esse, sed translato, sat frequenti, quo summum malum, summa tormenta, s. locum summi cruciatus indicat (ut in loco Terentiano Phorm. 3, 3, 11 'in malo quaerere crucem,' quod proverbium, ut Ruhken. explicat, de eo dicitur, 'qui in parvo malo magnum sibi malum ultro arcessit'). Hoc ergo loco Seneca, brevitati consulens in antithesi, *crucem* i. e. summum cruciatum s. locum summi cruciatus opposuit *plumae* i. e. mollissimo et delicatissimo cubili. Non de proprio sensu *crucis* hic cogitari posse ostendunt, quae antecedunt (§ 9), quibus singula Reguli tormenta exponuntur. Nam *cruci* affixus non membra quoquam movere poterit, quod Regulus facere potuisse indicatur. Neque dubitari potest, quin Seneca hic vulgo traditam de Reguli tormentis fabulam secutus sit, ex qua lignea arca, acutis clavis consita, inclusus est Regulus, ita ut 'quocunque fatigatum corpus reclinaret, vulnere (i. e. acuto clavo vulneranti) incumberet.' Hanc fabulae de Regulo formam secutum esse Senecam testatur etiam locus ex epistulis eius (ep. 67, 7) ubi *Reguli arca* nominatur; minus aperte Seneca de tranquill. an. 7, 4 *ego-fleam Regulum, quod tot clavis configitur?* Sed utut hoc est, sive *cruci* affixus sive *arca clavis consita* inclusus esset, ut mitti posset in senatum, per se patet neque mentione ulla opus erat *cruce* eum *refigendum* vel *arca* *eximendum* esse; sed, si vir tantis tormentis cruciatus sanari posset, necesse erat prius vulnera aliquatenus saltem sanarentur et vires aliquantum restituerentur. Id ergo indicatur vocabulo *refice*, vero et proprio verbo de aliquo ex morbo vel vulneribus in pristinum sanitatis et integritatis statum restituendo; veluti Sall. lug. 54 *saucias cum cura reficere*; Cic. epp. ad Attic. 7, 3. in fin. *Tironis* (aegri) *reficiendi spes est*; epp. ad fam. 7, 26, 9 *hic morari cogito, quoad me reficiam* i. e. ex morbo, quem contraxerat ex cena augurali; addit Cic.: *nam et vires et corpus amisi, sed si morbum depulero, facile, ut spero, illa revocabo.*

3, 13 *suspensam auro nivem diluit*. Lipsius hunc locum sua adnotatione obscuravit, non explicavit. Ita enim ille: in manibus ministri, suspensum aurum tenentis. *Suspensam* vero solum ad *nivem* pertinet; manibus ministri aureum poculum teneri, dici non opus erat. *suspensa auro* nix dicitur de nive leviter auro poculo inhaerenti, non compressa sive in eo depressa.

4, 3 *si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua una vim sui animi ostenderet*. Una non recte stare posse antecedente *nullam*, superioribus criticis prorsus assentior. Sed inde non necessario sequi putarim, ut mendum non nisi in *una* inesse posse statuatur. Equidem de ea re aliter censeo. Frequentissima librariorum in latinis scriptoribus vitia sunt falsae congruentiae, dum vocabulum proxime stanti falso forma accommodatur. Vide ergo, ne sententia vera sit et recta oratio, si ita scribatur: *si illi nullus occasionem difficilior casus dedit, in qua una* etc. Verborum ordo, in Seneca alias non insolitus, (cf. ex. gr. c. 4, 11 *ipsi illos patres adhortantur*) in causa esse potuit, cur *nullus* in *nullam* mutaretur. Ut alio simili exemplo illam meam coniecturam confirmem, equidem non dubito, quin in Iuv. X, 281 *opimam* prava congruentia ad *animam* relatum sit, et unum verum sit *opima* ad antecedens *pompa* relatum: *opimam animam* enim, utut interpretatus eris, sensu carebit.

ibid. 4, 3. *virtuti in obscurum iturae*. Audacius h. l. dici videtur *ire in obscurum*; defenditur tamen eo, quod in contrarium quodammodo dicitur: *ire in saecula*, veluti Sil. 12, 312 *facto in saecula ituro* et Plin. Pan. 55 *ibit in saecula* (seq. inf.), de eo, cuius gloria in longinqua saecula durabit; *ire in obscurum* ergo est: in obscuritate evanescere, tenebris premi, obrui.

4, 4. Falso tradidisse Fickertus videtur in codice A 1. m. scriptum esse: *bellis triumphant* (quod Lipsium coniecisse addit). Kochius saltem aliud prorsus de illius codicis scriptura testatur, ita sc. in codice legi: *belli triūpho* ('b ex u corr.; post *belli* ras. et supra o ras.'). Haasius communem I. Fr. Gronovii et Rubenii coniecturam recepit: *fortes milites bellis. Triumphum ego mirmillonem* etc. *Triumphus*, gladiatoris nomen, memoratur Martial. de spectaculis c. 20; (recte tamen observat Fickertus, temporis rationem ob stare; hic enim gladiator Tiberii temporibus assignatur, ille vero apud Martialem sub Domitiano vivit). Equidem me nescire confiteor, quid iure scripturae codicis (*belli triumpho*) opponi possit. Frequens est apud Senecam figura hyperbole.

4, 5. *tunc conspexissem, si — veluisses*. Hic locus aliqua explicatione egere mihi visus est. *conspexissem* opponitur antecedenti *audivi te* (cum *alios*, sc. liberis orbatos, *consolareris*); *tunc* et *si* inter se referuntur (*si* de incerta, solum cogitata, occasione). *tunc conspexissem, si te ipse* (sc. tuis liberis orbatum) *consolatus esses* etc. vertendum ergo est: Dann sollte ich dich gesehen haben, wenn du dich selbst (im gleichen Falle) etc., intellegendum est: 'ut scirem, quam aequo animo' etc.

4, 9. Quid fiet orationi male cohaerenti: *permalescunt et ...*

*sopiti?* Necessè est sane aut statuatur verbum excidisse post (vel ante) *sopiti*, aut, ut superiores praeter Haasium fecere editores, et tollatur. Hoc praetulit Gertzius; Kochius ante *sopiti* addidit *iacent*. De verbo dubitari potest, sed verius esse crediderim verbum suppleri, quia verba: *perpetua ebrietate sopiti*, quae particula et omissa arte cohaerent cum voce *permalescunt* neque sane aptissimo sensu, nimium ab ea distant. *permalescere* eadem translatione ac *malescere* et *madidus* (de crapula) dici videtur ('berauscht werden vom Glück'). Sed mirari haud dubie licet, quod h. l. nullus editor attendisse videtur ad coniecturam Lipsii, quae sponte mihi quoque succurrit, pro *enervatam*, quod antecedit, substituentis: *enervantem*. Nam quo sensu dici potest *felicitas enervata?* minima erit literarum mutatio; falso scriptum erat *enervatam*.

4, 10. *Lenior ieiunio mors est: cruditate dissiliunt*. Hanc codicis A et plerorumque recentiorum scripturam, quam temere mutare voluit Lipsius (*levior ieiunio mors* et dein: *difficilis* v. *dissimilis* pro *dissiliunt*) recte vindicavit I. Fr. Gronovius et plene explicavit. *ieiunio* tamen, quod pro abl. instr. s. causae ad *mors* h. l. attributi vice ('quae oppetitur ieiunio') refertur, habet audaciorem syntaxin, cum antecedit comparativus (hic absolute positus); neque pro subiecto recte ad *dissiliunt* subauditur *morientes*, quod pleonasmum haberet, cum per se pateat, qui *dissiliunt cruditate*, i. e. quorum intestina rumpuntur necessario mori; intelligendum vero est subiectum generale (*homines*, 'man').

4, 11. *volnera praebere volneribus* significat 'volnera praebere ad nova volnera accipienda, ut in ipsis volneribus nova volnera fiant'. Simili constructionis praegnantia usus est Vergil. Aen. 3, 63 'ergo instauramus Polydoro funus et ingens aggeritur tumulus telus' i. e. 'ut tumulus fiat;' paulo accuratius ita loci sensum redditum esse crediderim, quam a Lipsio factum est.

4, 13. corruptam esse codicis A scripturam: *sic sunt nauticis corpora efferendo mari dura* omnes facile Gertzio assentientur, cum *efferendo* sensu careat. Is ergo, ad tertium orationis membrum praecipue respiciens (*ad excutienda tela militares lacerti valent*) potius sic censet scripturam corrigendam esse: *corpora ferendo mari dura*, 'dativo casu, ut consilium significetur.' Addit deinde, 'si causam duritatis Senecam significasse putes,' non addendam esse praepositionem *a* (quam Fickertus et Haasius addiderunt ante *ferendo*), sed sublata literae *f* geminatione scribendum: *e ferendo mari*. Quanquam satis apparere credo, Gertzium ipsum priorem correctionem praeferre, Kochius tamen posteriorem eius nomine addito in textum recepit, motus haud dubie eo, quod propius accedit *e ferendo mari* ad literarum ductus. Ego quoque correctionem illam priorem amplectendam esse censeo, neque tamen eo modo, quo fecit Gertzius, explicandam. Ceterum ea correctio vetus est. Fickert. affert, iam veterem Pinicani esse lectionem, inde ab Erasmi 1 ed. (1515) usque ad Vogel. propagatam, nulla tamen addita, quod sciam, explicatione. Gertzii explicationem equidem probare non possum. Non esse dativum *ferendo mari*, qui

casus post adiectiva, quae significant id, quod aptum, accommodatum sit ad aliquid efficiendum, ponitur (auctore Madvigio in loco, ad quem delegavit Gertzius, 'saepius ea sequitur *ad* et gerundii acc.') vel ideo crediderim, quod *durus* non facile nisi absolute dicitur, non *durus ad aliquid, alicui rei*, quanquam aliqua analogia tali dicendi generi fortasse peti poterat ex illo exemplo, quod Madv. l. l. (§ 415) attulit: *area firma templis porticibusque sustinendis* i. e. satis firma. Sed loquitur Seneca in hoc loco de effectu, quem frequens usus et exercitatio in corporibus et corporum partibus habet, et eius rei exempla affert. Retenta ergo illa correctione, longe verisimilius est *ferendo mari* ablativum esse instrum. (s. causae), ut ergo is sensus, quem petiit G., iam adsit in priore correctione. Posteriori correctioni (*e ferendo*) id opponendum esse credo, quod valde dubitandum est, num *durus ex aliqua re* (de causa) recte latine dicitur, vel usquam ita dici deprehendatur. *Ex* non facile, ante nomina positum, causam significat, nisi ubi causa idem est atque *origo* (occasio), unde aliquid oritur, vel repeti potest; alioquin causa plerumque solo ablativo vel aliis praepositionibus disertius indicatur. Ea vis facile agnoscitur etiam in rarioribus iis exemplis, ubi praepositio *ex* adiectivum sequitur, ex. gr. in: *vir ex doctrina nobilis atque clarus* (Cic. Rab. post. 9, 23) origo ipsius nobilitatis et claritudinis significatur; similiter: *ex vulnerere aeger* (Cic. rep. 2, 21); plerumque post *ex* id indicatur, quod tempore quoque antecedit. Saepe vero *ex* ita acceptum verba sequitur (*appellari, dici, nomen accipere, dare, ponere*, de etymologica ratione). Neque vero ad omnes praepositiones, quae ante nomina ponuntur, etiam gerundia et gerundiva addi possunt; id omnes agnoscunt grammatici. Madv. (§ 416) docet gerundii et gerundivi ablativos esse vel instrumenti (causae), vel poni post praepositiones *in, ab, de, ex*; quibus addi poterunt, rariori usu, *cum* Quintil. 1, 5, 3, *super* (= *de*) Hor. Carm. saec. 19, *pro* Liv. 23, 28 Cic. off. 3, 5. *Ex* vero omnino ante gerundia rarius ponitur, et verba sequitur, vix causali sensu (*ex discendo capere voluptatem* Cic. fin. 5, 18. *temperantia constat ex praetermittendis voluptatibus corporis* Cic. de nat. deor. 3, 15, 38, quasi de materia; post *dici, appellari* saepe sequitur *ex* cum abl. gerund. cf. Cic. de legg. 1, 23, 60 Cic. de nat. deor. 2, 28, 72). Sed exemplum ablativi gerundii s. gerundivi, praepositione *ex* (vel *a*) pendentis ab adiectivo mihi anxie quaerenti non occurrit, neque inveniri puto.

5, 1. *apparebit autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, et mala esse, si tantum malis irrogaverit*. Mihi quidem sententia huius loci non aliter sibi constare videtur, nisi *si illa* — *tribuerit* ad prius antecedens membrum (*quae volgus appetit*) referatur; *et mala esse, si tantum malis irrogaverit* de iis intelligatur, *quae (volgus) reformidat*. Ut locum ita intelligamus, cogunt contraria exempla, quae ex *caecitate* et *divitiis* petita sequuntur. Si hoc vero ita esse concedatur, *illa* sane non commune subiectum esse potest utriusque invicem oppositi enuntiatum, quod sequitur, sed necesse est statuatur excidisse subiectum alterius enuntiatum ex *si*

pendentis. Sic fortasse scripsit Seneca: *apparebit autem bona esse illa, si non nisi bonis viris tribuerit, haec mala esse, si tantum malis inrogaverit.* Id fortasse turbavit h. l. librarium, quod in antecedenti orationis membro (*haec quae volgus adpetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala*) contracta orationis forma Seneca duo opposita subiecta uno pronomine complexus est, duo praedicata dein copulans. Dilucidius fortasse iam hic Seneca duo illa opposita membra distincte et articulatum posuisset. Hic vero, ubi orationis opposita membra accurate distinxit, non potuit uno subiecto defungi. Id haud dubie non dixit Seneca, secundum divinam mentem 'et quae volgus adpetit et quae reformidat' bona apparitura esse, 'si illa non nisi bonis viris tribuerit,' et contra utraque 'mala esse, si tantum malis inrogaverit'. Tali sensui per se absurdo obloquuntur exempla, quae chiasmo afferuntur, qualem verborum quoque ordinem equidem in altero subiecto supplendo proposui: *bona esse illa — haec mala esse.* Is ergo totius loci sensus est: Ut deus ostenderet non bona esse, quae volgus adpetit, non illa bonis solum viris, sed malis quoque tribuit; veluti divitiae etiam in lenone, pessimo homine, conspiciuntur; et ut ostenderet, non mala esse, quae volgus reformidat, iis vel optimos et summa laude dignos homines (ut Appium et Metellum caecitate) affecit. *careant luce, habeant illas* (divitias) verba sunt dei imperantis. — Supra in codice A legitur: *hoc est propositum deo ostenderet*; vulgo ediderunt *ostendere*; nescio an aequè recte suspicari liceat, ut excidisse.

5, 3. Kochius testatur in codice A h. l. *configi* scriptum esse, non *constringi*, ut contenderat Fickertus. *constringi* a Mureto in textum receptum est, moto haud dubie scriptura codicis Neapolitani, in quo est *confringi*. Sed iam superiores editores inde a Lipsio et I. Fr. Gronovio usque ad Vogelium praebent: *configi*, quod in omnibus suis libris inveniri testatur Lipsius. Restituta ergo codicis A vera scriptura, adimitur, ni fallor, tota de hoc loco Gertzii disputatio. De singulis tamen eius placitis monuerim, non necesse esse plane diversa sint, quae particula *aut* distinguuntur, et posse etiam hoc loco, si vere scripserit Seneca *constringi*, in brevi eius malorum enumeratione discrimen statui inter *constringi* et *adligari*; nam ut in illo verbo *vinculis* intelligitur, ita fortasse ad *adligari* intelligi poterat *ad palum* (de supplicio; nam *adligare*, relativa vox, in hac re proprium verbum esse videtur; cf. Cic. in Verrem 2, 5, 5, 11. 2, 5, 28, 71. 2, 4, 42, 90. Liv. 2, 5, 6 *ad palum deligati*); rarius haud dubie *alligare* significat *in vincula conicere, vincula indere alicui* (Tac.); sic fortasse non nisi de servis dicitur (*servi adligati* Colum. 1, 9).

ibid. 5, 3. Codicis A hanc scripturam esse testatur Kochius: *securos eē p̄bisos* (addit *curos eē p̄bi* in rasura scriptum esse, *p̄bi* manu recenti). Fickertus et Haasius dedere *praecisos* (ex cod. Mediol. recent. ita Erasm. 1 et Lips. 4), quod propter locum in Lamprid. Heliog. 7, 2 (*inter praecisos fanaticos*) explicant vulgo: 'exsectos, castratos' (qua auctoritate Gertzius *exoletos* significare dicat,

nescio; exoleti vulgo intelliguntur, qui muliebria patiuntur). Lipsii coniecturam *percisos* (petitam ex Martial. 4, 47 cf. 2, 72) secuti sunt Gronovius et ceteri editores. Locus desperatus videtur, cum *pbi(sos)* nihili sit, et quid ante rasuram scriptum sit, dici nequeat. Fierine potuit, ut ante rasuram *probrosos* scriptum fuerit?

5, 6 in fine. *Nihil cogor, nihil patior nec servio deo — decurrere.* Gertzius improbat, quod haec quoque verba Haasius et Fickert. Demetrio tribuunt, ea sola de causa, quod si Demetrii essent, hic quoque, ut in superioribus *deos* allocutus esset, non *servio deo*, sed *servio vobis* dixisset. Id tum tantum verum esset, si semper Seneca de *diis*, nunquam de *deo* loqueretur. Sed ex verborum Senecae indice (apud Haasium) apparet, Senecam utraque appellatione aequae frequenter uti; neque necesse est statuamus, verba Demetrii h. l. verbotenus eum repetisse. Gz. ergo statuit verba, quae deinceps sequuntur (post *assentior*): *eo quidem magis — decurrere*, ostendere haec verba esse Senecae, summam verborum Demetrii suo more comprehendentis; quibus verbis ad quartam disputationis partem (*fata ista sic ire* cf. 3, 1, quomodo ibi legendum putat) transiturus, viam sibi munit. Ad haec responderi posse puto, cum oratio hic, ut in superioribus, prima persona continetur, et haec sensu artissime antecedentibus cohaereant, longe verisimilius esse, haec verba Demetrii esse, summam suorum verborum comprehendentis. Eodem fere iure, quo Gertzius conclusit, non eiusdem verba esse posse, qui primum *deos* alloquitur et dein de *deo* loquitur, Gertzio opponi poterat, non posse eiusdem verba esse, qui l. pers. sing. locutus est, ea, quae sequuntur: *fata nos ducunt*. Nullo sane certo signo suam orationem incipere Seneca indicavit; sed *ita est* (quod Senecam scripturum fuisse censet Gz., si ea quoque verba Demetrii essent) vix satis erat ad illum transitum indicandum. Ex his verbis (*fata nos ducunt*) Seneca de se et omnibus hominibus in genere loquitur. Ceteroquin ipsa illis mota satis levis momenti est.

5, 9. *Non potest artifex mutare materiam: hoc passa est.* Difficultas ea, quam in postremis verbis adesse statuit Gertzius, fortasse non tanta est, quantam credidit. Sunt sine dubio ita fere accipienda, ut initio accipienda ei visa sunt: 'hoc ei tributum est, ut non possit mutari; neque usus verbi (*patiendi*) a vulgari hic discedere iure statuitur. Hoc refertur ad totum proxime antecedens enuntiatum: *non potest* (vel ipse) *artifex* (i. e. deus, qui materiam creavit) *mutare materiam*. Ergo *hoc passa est* i. e. hanc, semper manentem, condicionem subiit materia initio, cum facta est, ut non mutari (ne ab ipso quidem artifice) posset; ita iam initio affecta est, iam initio tali condicioni subiecta est (et semper obnoxia est). Quamquam minus abstracto (quod dicunt) obiecto, similiter tamen dici videtur a Seneca ep. 65, 3 (ad universam hanc ep. delegat Lipsius) *materia pati artificem* i. e. artificis operam; similiter quodam modo Ovid. Met. XIV, 274 *lac coagula passum*. Fortasse Senecae obversata est h. l. materiae definitio apud Zenonem (Stoicum) in loco ex Diog. Laert. de Zenone, quem affert Lipsius:

ἀρχὰς εἶναι τῶν ὄλων δύο, τὸ ποιῶν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἀποιον οὐσίαν, τὴν ἕλην, τὸ δὲ ποιῶν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεῖον (cf. Sen. ep. 65, 2), ad eam alludenti, quanquam alio sensu verbum *pati* posuit. Improbatur deinde Gz. coniecturam Haasii: *in hoc parata est*, quae et ipsa obscura, explicatione egebat. Nam quid est *in hoc*? et *parata* de materia dictum? Kochius novissime verba illa ita explicat: *hoc passa est* 'h. e. non potest non esse obnoxia eiusmodi malis'; ergo *hoc* rettulit ad superius enuntiatum (*ut bonis viris . . . adscriberet*). Quod si verum esset, vel sic *patitur* potius dicendum erat; et *hoc* quoque obstare videtur, cum nimis esset obscurum. *Hoc passa est* (materia) i. e. 'ut non mutetur,' sane eo respicit, quod ob materiae i. e. corporis et humanae vitae condicionem semper homines talibus quae supra enumerat, malis obiciantur. In loco, ad quem non iure delegat Kochius (Sen. de ira 3, 28, 3): *patientem materiam, patiens* haud dubie significat 'geduldig,' neque ille locus interpretationem eius fulsit.

ibid. *Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt.* Non re vera continuari idem subiectum mihi videtur, quanquam novum non additur. Nihilominus tamen pro subiecto illa duo (*quaedam et quibusdam*) conexa cogitanda sunt, i. e. 'utraque (s. materiae elementa) cohaerent.' Suspicio tamen corruptelae non facile hic oritur. Seneca tantum minus accurate, non ad severas logices s. grammatices rationes locutus est, exspectans legentibus facile, quid sibi vellet, occurrurum esse.

ibid. *Ut efficiatur vir cum cura dicendus.* Non sufficit ad hunc locum explicandum, quod Lipsius ad Sen. de ben. IV 1, 1 (*nihil tam necessarium aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum*) simpliciter delegavit. Frequentem fuisse apud Sallustium phrasin: *cum cura aliquid dicere*, etsi, tot operibus eius amissis, fortasse hodie non apparet, Senecae haud dubie credendum est; ceteroquin ea phrasin nil peculiare habet, cum nil aliud significet *cum cura* nisi *diligenter, accurate, et cum cura (magna cum cura)* inde a Plauto et Ennio usque ad seriora tempora (h. l. et Sen. de ben.) saepe sane dicitur. Lipsius formam modo orationis, non sensum huius dicendi generis, h. l. satis peculiarem, respexit. Brevius non dubie h. l. Seneca ita locutus est pro eo, quod plenius ita dicendum erat: 'vir, sic (eo nomine) cum cura (i. e. accurate) loquenti dicendus' (*cum cura* dicerem hic poni subiectivo adverbiali sensu, si ad talem adverbiorum usum grammatici unquam attendissent). Sententia rectius et simplicius ita indicaretur: 'vir iure eo nomine appellandus'. Quid sibi velit Pinciani coniectura: *vir cum cura ducendus*, mihi obscurius est; *virum enim aliquem ducere* (ἡγεῖσθαι) intelligi potest, quam rarius ita dicitur; *cum cura ducere virum* vero non dubie sensu caret et dici nequit; et vel sic repetitio notionis (*viri*) proprie desideratur. Suspicio corruptelae h. l. non facile oritur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Quid sibi velit Kochius, mutans ibid. 5, 9 cod. A scripturam *fortiore fato* in *fortiore flo* et quo exemplo quoque sensu ita dici posse

5, 10 In versibus Ovidii, quos (ex Met. II 63—69) haud dubie memoriter affert Seneca, prorsus Gertzio assentior, non mutandas esse discrepantias a vero Ovidii textu; nisi si quae sermonis aut versus legibus non satis parent. Mihi una eiusmodi adesse videtur in *enituntur*, quod non dubie ex satis certo sermonis usu, quem Seneca quoque alias sequitur (cf. ex. gr. cons. ad Helviam 5, 1. *leve momentum — est et quod in neutram partem magnas vires habeat*) in *enitantur* mutandum est. Minime vero Gertzio assentior, *quam* in *qua* (ut in Ovidio est) mutanti; aptissime enim, me iudice, cum hoc Senecae loco comparantur duo ex Tacito a Gertzio allati. (An. 2, 20 *aggerem eniti*. hist. 1, 23 *Pyrenaeum et Alpes eniti*; acc. sibi iungit *eniti*, ut *evadere* et *excedere*). Neque mihi, ut Gertzio, mirum videtur, quod aequae ac *sit*, quod probat Gertzius, ita sequenti quoque enuntiato Seneca *trepidet* posuit. Nam eadem est haud dubie utriusque coniunctivi ratio; sane non iam pendet ab *unde* hoc enuntiatum; sed, ut satis constat, saepe copulatur alia enuntiatio cum antecedenti, quae a relativa voce pendet, si idem subiectum continuatur, qua enuntiatione res accuratius describitur, et quae vel ob copulationem eundem verbi modum requirit.

5, 11 *est tanti per ista ire casuro*. Brevius, quam in hac phrasi adsolet, eloquitur Seneca. Ex vulgari forma (*est tanti* sc. mihi) edicendum erat pro *casuro*: ‘ut vel cadam (i. e. cadere sustineam).’ Non recte explicavit h. l. Lipsius, in notionum mutua relatione falsus: ‘hoc pretio emam vel cadere;’ nam *cadere* h. l. pretium est, quo empturit *per ista ire* (quod h. l. merx est, quomodo Spaldingius ad Quinc. 1, 6, 38 et alii breviter notiones in hac phrasi distinguunt); *cadere* non emit, sed vel *cadendo* illud (*per ista ire*) empturus est.

ibid. (5, 11 in fine) *humilis et inertis est tuta sectari; per alta virtus it*. Hoc quoque loco, ut supra ad § 6, Haasium errorem commisisse dicit Gertzius, verba supra posita Phaethontis verbis iungentem, hoc solo argumento fultus, quod ‘prorsus importuna sit haec adolescentis gloriatio, virtutem sibi ipsi tributis.’ Gz. vult haec verba esse Senecae, ‘quae epiphonematis loco illi Solis et Phaethontis colloquio adiungit, ut summam eius ostendat.’ Mihi neque id argumentum, quo illam erroris obiectionem firmat Gz., verum esse videtur, neque ulla causa a Gertzio affertur, cur potius hoc Senecae ipsius epiphonema esse statuamus. Non importuna, sed maxime opportuna i. e. aptissima ei ingenio, quod Phaethonti, summae confidentiae iuveni, attribuitur, illa gloriatio est; neque quid sensui et veritati sit lucri, si statuerimus Senecam Phaethonti virtutem attribuere, non sibi ipsum gloriosum et confidentissimum iuvenem. Alio tamen argumento ductus concesserim haec Senecae esse verba.

---

statuerit, me prorsus ignorare confiteor. Simplex et satis per se dilucidus sensus est scripturae codicum: *fortiore fato opus est* i. e. necesse est saepius et vehementius, quam vulgo homines, cum adversa fortuna et gravi fato (*fortiore* i. e. quod maiore vi in eum irrumpat) conflictetur.

Vides enim orationem h. l. verbis paullum mutatis eo reverti, unde Seneca ipse non dubie loquens supra § 10 in. orsus est: *vide quam alte escendere debeat virtus; scies illi non per secura vendendum*. Quid ergo est? Seneca toto hoc loco non satis apto Phaethontis exemplo, tanquam ipsius virtutis, usus est; et minus, quam par erat, veritatem respiciens, tanquam virtutis causam egit, quae proprie summae modo confidentiae est, quam nemo facile comprobavit.

6, 7. *Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invites*. Gertzio conicienti potius scribendum esse *ne quid* prorsus equidem accedo ob meliorem sensum qui inde prodit. Kochium haec coniectura fugisse videtur.

*ibid. prono loco animam posui: trahitur*. Mira haec scriptura Gertzio visa est, quae in omnibus codd. et edd. est; mihi non item. Ita ille disputat: 'Quid Seneca significare voluerit, apparet: scilicet cum acumine quodam animam semper quasi elabi dicit, ut singulis momentis eam revocare et retrahere ex fuga debeamus, quod fit dum spiritum trahimus. Sed si hoc intelligi voluit, certum est, ut opinor, eum non sic loqui potuisse, ut solo verbo *trahitur* uteretur: pleniore verbo sententiam suam declarasset, dixissetque fortasse *retrahitur*. Sed ne hoc quidem satis ei voci respondet, in qua omnis praecedentis sententiae vis inest, scilicet adiectivo *prono*. Quare pro *trahitur* scribendum *labitur* esse puto non valde audaci correctione, quod verbum apte illi *prono* redditur. *Spiritum labi* Tac. Annal. VI 50 quamquam paullo aliter dixit; et per se hoc loco facile intelligi poterat.' Improbatur deinde Lipsii coniecturas *truditur* aut *traditur* et enarrationem Woelfflini, qui (collato loco Senecae Phoeniss 165 *hac extrahe animam*) *trahitur* pro *extrahitur* dictum esse putavit; utrumque me sane consentiente. Sed in tota illa Gertzii disputatione id unum mihi verum esse visum est, quod in adiectivo *prono* omnem sententiae praecedentis vim (et pondus) inesse concedit; sed ad id ipse non satis attendit. Cetera, quae scripturae codicum opposuit, haud dubie non vera sunt. Loquitur Gertzius de anima (strictiori sensu), quasi prorsus ex nostro arbitrio eum ducamus (reciprocemus), cum fiat hoc ipsius naturae necessitate, quanquam in ea re interdum nostro arbitrio uti possumus; quo vero sensu ad totam sententiam apto h. l. diceretur *retrahitur*? Ipse pro *trahitur* restituens *labitur*, primo lenius pro fortiore vocabulo substituit; dein ex superiore disputatione non satis apparet, quo modo illud *labitur* interpretetur, locum Taciti allegans. Nam in Taciti loco non dubie apparet, Chariclem medicum, e convivio digredientem et, dum manum Tiberii complectitur, pulsum venarum attingentem posteaque affirmantem *labi spiritum* (Tiberii), id dicere: 'vires eius vitales iam deficere, in eo iam esse ut evanescant.' Sed sicut in hoc Taciti loco *spiritus*, ita in nostro loco *anima* haud dubie non strictiore sensu de halitu, quem ore accipimus et reddimus, sed ampliore de viribus vitalibus, ipsa vita (vitae principio), ut satis saepe dicitur. In verbo *trahitur* ergo Seneca simpliciter continuat

inceptam metaphoram, adiectivo *prono* satis indicatam. Omnia, quae *prono* loco posita sunt, minimo impulsu obnoxia sunt lapsui, exposita ad casum; externa enim vis et ipsa gravitas lex talia *trahit* sc. 'in casum, in altum, ad inum.' Brevius sane ita locutus est Seneca, proprietatem verborum interdum summe secutus; et felicior fortasse metaphora uti potuit. Quin vero illam, quam ostendi, vere adhibuerit, non dubium esse potest; neque ullam iam illius loci intelligendi difficultatem remanere crediderim.

6, 9 *quacunq̄ue pervium est* sic superiores plerique edd. usque ad Haasium, qui dedit *quacunq̄ue via pervium est*, in qua lectione offendit pleonasmus. In codice Kochius Fickertum errare dicens tradit sic esse scriptum: *vi* ('erasa litera potest fuisse') *p̄vium ē*, et Woelfflinun sequitur *vis* restituentem; conferri iubet Senecae Phoeniss. v. 158: *qua voles mortem exige*. De hac coniectura dubitari tamen potest, cum *quacunq̄ue* (quicumque) hoc tempore saepe absolute dicatur; et vereor ne *quacunq̄ue vis* pro *quavis* exemplo careat. *Pervium*, ut constat, saepe pro substantivo est.

6, 9 in fine: *ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis diu?* (in posteriori enuntiato supersederi poterat interrogandi signo). Gertzius scribendum esse putat: *ecquid erubescitis, qui, quod tam cito fit, timetis diu*; 'alioquin enim illa interrogatio (*ecquid erubescitis*) mire ponitur, non addita causa, cur erubescendum sit.' et addit, in relativa sententia (i. e. causam indicante) antiquos scriptores coniunctivum posituros fuisse, sed hunc usum Senecam non observare. Additur vero causa, sed nulla causali particula aliove orationis signo adnexa, ut saepe fit, ubi sensus causalem rationem sat dilucide prae se fert. Ipse Gertzius concedit, non prorsus necessarium esse *qui*. Cur ergo mutandum? Alio modo Kochius codicis A scripturam mutandam esse censet: *ecquid erubescitis quod tam cito fit timere tamdiu?* non maiore iure, ni fallor.

Disputanti de universo hoc libro Gertzio, initio capto ab illis verbis c. 1, 1: *hoc commodius in contextu operis redderetur* (quae per se sane ambigua esse possunt cf. Tac. hist. 2, 8 *ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus* i. e. im Zusammenhang der Werke; alibi significare poterat: in einem zusammenhängenden Werke) assentior equidem non h. l. sermonem esse posse de maiore tali opere, quod iam exstaret, neque fortasse certum consilium Senecam iam agitare eiusmodi operis conscribendi; cogitasse vero eum iam eo tempore de tali opere serius conscribendo non prorsus abnegari posse credo, cum certum sit postea in epp. identidem (cf. 106, 2. 108, 1. 109, 17 et Haasii vol. III fr. 116 inpr. 117. 118. 120) indicare Senecam se in eo esse, ut tale *moralis philosophiae* opus conscribat, quod opus ('libri moralis philosophiae') a Lactantio saepius memoratur. Attendendum est etiam ad Senecae verba infra 1, 4 *suo ista tempore reserventur*; quamquam concedo haec verba verisimiliter fortasse ad 'naturales quaestiones' referri posse. Deinde contra Lipsium, Fickertum, Haasium contententis Gertzio non mancum esse librum, in universum consentio. Lipsius dixit, 'superesse dicendam ultimam partem de *miseratione*' (respi-

ciens, quod in divisione argumenti extremo loco posuit Seneca 3, 1 sibi ad disserendum propositum: *persuadebo deinde tibi, ne unquam boni viri miserearis: potest enim miser dici, non potest esse*. 'Verum est,' concedit Gertzius, 'non diserte Senecam significasse, se ad eam partem tractandam transire,' sed addit, id ne in quinta quidem parte (3, 1 *eadem lege haec bonis evenire, qua sunt boni*), fecisse, quod pertractavit 5, 9—11. Illud vero, quod adhuc explanatione egere opinatur Lipsius: *nunquam bonos miserandos esse*, id non aliis argumentis fieri posse dicit Gertzius, quam iis, quae iam per superiores partes sparsit (3, 14; 4, 12; 5, 1) et addit: 'equidem nulla alia excogitare possum' (quod ipsius causa vellem non addidisset). Sed ita sane viam et rationem, qua procedendum erat in propositis disserendis, prorsus deseruerat Seneca. Mihi quidem id thema, quod explicandum sibi extremo loco (3, 1) propositum Seneca, et quod desiderari Lipsius contendit: *nunquam boni viri miserandum esse*, suo ordine ab eo tractatum esse videtur capite 6, ubi ostendit omnia vera mala a bonis viris remota esse et *eorum felicitatem esse, quod non egent felicitate*, et si cum 'duris' non pugnare velint, fugere licere, patere exitum. Quae omnia aptam huius libelli facere clausulam, prorsus cum Gertzio consentio. 'Mors ultima linea rerum.'

Christianiae.

L. C. M. Aubert.